



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXV. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Catharinam V. & M. necdum Christianam suo Maria conspectu dignata est, filium eidem obtulit, qui tamen venire in ejus manus, quod necdum sacro fonte abluta esset, renuit; sed eâ baptizatâ non solùm eidem rursus cum Matre filius comparuit, sed & annulo dato eam desponsavit. Ab eodem contra 50. Philosophos, quos disputando confundit, roborata. *Ex vita.* Nemo pro Domino loqui confundatur.

S. Catharina Virgo, quæ tanto fervore, & animi magnanimitate Dei fidem amplexa es, ora pro me Deiparam, ut illa languorem animæ meæ discutiat, tenebras mentis illuminet, ut expergiscatur torpor meus. Illa faciat, ut amor sui semper sit mecum, & cura mei semper sit secum. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: id quod præ cæteris charum habeo, aut Mariæ charum futurum credo, eidem præsentabo.

Maria dulcem suæ bonitatis fructum nobiscum participavit, largissimamque variorum bonorum copiam in totum orbem per filium effudit. *S. Antonin. p. 4. c. 26.*

Quæstio: Quando Deipara votum virginitalis in templo emisit? *v. Carthus. l. 3.*